

que vertitur inter ipsum et nobilem mulierem A[delam] sororem marchionis Mis-
 nensis, auctoritate tam nostra quam legatorum nostrorum peremptorie citavissent,
 parte mulieris ipsius in eorum presentia comparente, idem rex contumaciter se subtraxit.
 Cum autem ab eiusdem mulieris fuisset parte propositum, quod memoratus rex B.
 5 presbiterum, quem prefati iudices cum litteris citatoriis miserant ad eundem, temere
 capi fecerat et arcte custodie mancipari ac idem iudices post peremptoriam diem
 biduo expectassent, si forsitan aliquis pro prefato rege in eorum presentia compareret,
 quia demum iam die tertia probato per testes idoneos, quod pervenerant littere citationis
 ad ipsum, suam manifeste contumaciam cognoverunt, excommunicationis in eum sententiam
 10 protulere. Cum igitur dictus rex diceretur recusasse predictos, iudices ut suspectos,
 venerabili fratri nostro Hostiensi episcopo et dilecto filio Leoni tituli sancte crucis pres-
 bitero cardinali, quibus tunc fuerat pro causis imperii ac ecclesie ad partes illas officium
 legationis iniunctum, dedimus in mandatis, quatinus iuratoria cautione ab ipso rege
 recepta, quod iuri pareret, beneficium impenderent absolutionis eidem et inquirerent, si
 15 tamen possent ad hoc intendere per se ipsos vel facerent per aliquos idoneos viros inquiri,
 utrum predicti iudices ab ipso possent rationabiliter recusari, quod, si forent rationabiliter
 recusati, audirent causam vel facerent audiri appellatione remota, ita quod, cum esset
 usque ad sententiam in ipsa processum, nobis remitteretur instructa prefixo partibus
 termino competente, quo se per procuratores idoneos nostro conspectui presentarent iustam
 20 auctore deo sententiam recepture, alioquin partes ad priorum iudicium remitterentur
 examen. Verum quoniam ipsi legati propter miserabilem illum eventum, qui rerum
 statum inopinata morte principis immutavit, de arrepto legationis itinere recedentes, hiis
 intendere nequiverunt, fraternitati vestre per apostolica scripta mandamus, quatinus ab-
 soluto prefato rege secundum formam prescriptam inquiratis sollicite per vos ipsos,
 25 utrum iudices ante dicti possint ab eo rationabiliter recusari et in ceteris mandatum
 apostolicum, quod predictis fuit legatis iniunctum, sublato cuiuslibet contradictionis et
 appellationis obstaculo exequi procuretis. Datum Laterani III. idus decembris, pontificatus
 nostri anno undecimo.

128.

30 *Landgraf Hermann bezeugt, daß Abt und Kloster Reinsdorf vier Hufen in Jügendorf von dem
 Burggrafen Ulrich von Wettin für 60 Pfund gekauft haben.* 1208.

Hdschr.: Or. Perg. Hauptstaatsarchiv Dresden No. 167. Das S., an Pergamentstreifen, verloren.

:In nomine sancte et individue trinitatis.: Hermannus dei gratia Saxonie palatinus
 et Thuringie lantgravius | sacratissime fidelium universitati salutem in perpetuum. Ne
 35 rationabilia modernorum facta quandoque vilescant | et apud posteros forte in irritum vel
 oblivionem transeant, et presenti generationi significamus et future, quod | Ekkehardus
 abbas et fratres in Reinsdorf de manu Vlrici prefecti in Witin et heredum suorum quatuor
 mansos in Ivdendorf LX libris sub pretextu liberi patrimonii mercati sunt, sicut evidentialia